

STEPHEN T. BADIN, R. C. P.

W. Muir at





n. wilt thou take ^{her present} n. for thy lawful wife ^(or husband) according
to the rites of our Holy mother the church.

I will. — ~~take thee to my wife~~ ^{to be wedded}

I n. take thee n. to my lawful wife (husband) to have
& to hold from this day forward for better for worse,
for richer for poorer, in sickness & in health till
death us do part, if Holy church will it permit
& thereto I plight thee my troth. —

With this ring I thee wed, this gold & silver
I thee give, with my body I thee worship & with
all my worldly goods I thee endow — in the
name of the Father & of the Son & of the H. Ghost
Amen.

RITUUALE
ROMANUM,
PAULI V.
PONTIFICIS MAXIMI
JUSSU EDITUM.
EDITIO NOVISSIMA
cum Accentibus;

Catholic Church, Liturgy, and Ritual, Ritual.



PARISIIS;

Apud PETRUM HERISSANT; viâ novâ
divæ Mariæ, sub signo trium Virtutum,
& Spei.

M. DCCII.



PAULUS
PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.



POSTOLICÆ Sedi per abundantiam divinæ gratiæ, nullis suffragantibus meritis, prepositi; nostræ sollicitudinis esse intelligimus, super universam domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quò sicut admonet Apostolus, omnia in ea honestè, & secundum ordinem fiant; præcipuè verò quæ pertinent ad Ecclesiæ Dei Sacramentorum administrationem: in qua religiosè observari Apostolicis traditionibus & sancto-

ã ij



rum Patrum decretis constitutos ritus & ceremonias, pro nostri officii debito curare omnino teneamur. Quamobrem fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor noster, hujus nostri, tunc sui officii memor, ad restituendam sacrorum rituum observationem in sacro-sancto Missæ sacrificio, divinoque Officio, & simul ut Catholica Ecclesia in fidei unitate, ac sub uno visibili capite beati Petri successore Rom. Pont. congregata, unum psallendi & orandi ordinem, quantum cum Domino poterat teneret, Breviarium primum & deinde Missale Romanum, multo studio & diligentia elaborata, pastorali providentiâ edenda censuit. Cujus vestigia eodem sapientiæ spiritu secutus similis mem. Clemens Papa VII. etiam Prædecessor noster, non solum Episcopis & inferioribus Ecclesiæ Prælatiis accuratè restitutum Pontificale dedit, sed etiam complures alias in Cathedralibus & inferioribus Ecclesiis ceremonias promulgato Ceremoniali ordinavit. His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine comprehensi, sacri & sinceri Ecclesiæ Catholice ritus, qui in sacramentorum administratione, aliisque Ec-



clesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolica Sedis auctoritate prodirent, ad cuius voluminis prescriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi ministeria tamquam ad publicam & ob signatam normam peragerent, unoque ac fideli ductu inoffenso pede ambularent cum consensu. Quod sanè jampridem agitatum negotium, posteaquam generalium Conciliorum Gracè Latinèque divinâ gratiâ editorum opus morari desivit, sollicitè urgere nostri muneris esse existimavimus. Ut autem rectè, & ordine, ut par erat, res ageretur, nonnullis ex Ven. Fratibus nostris S. R. E. Cardinalibus, pietate, doctrinâ, & prudentiâ præstantibus, eam demandavimus, qui cum consilio eruditorum vivorum, variisque præsertim antiquis, & quæ circumferuntur Ritualibus consultis, eoque in primis, quod vir singulari pietatis zelo & doctrinâ bon. mem. Julius Antonius S. R. E. Cardinalis sanctæ Severinæ nuncupatus; longo studio, multâque industriæ & labore plenissimum composuerat, rebusque omnibus maturè consideratis, demum divinâ aspirante clementia,



quantâ oportuit brevitate, Rituale confecce-
runt. In quo cùm receptos & approbatos Ca-
tholica Ecclesie ritus suo ordine digestos conf-
pexerimus, illud sub nomine Ritualis Ro-
mani meritò edendum publico Ecclesie Dei
bono judicavimus, Quapropter hortamur in
Domino Ven. Fratres Patriarchas, Archie-
piscopos, Episcopos, & dilectos filios eorum
Vicarios, nec non Abbates, Parochos univer-
sos, ubique locorum existentes, & alios ad
quos spectat, ut in posterum tamquam Eccle-
sie Romanae filii, ejusdem Ecclesie omnium
matris & magistra auctoritate constituto
Rituale in sacris functionibus utantur; &
in re tanti monumenti, quæ Catholica Ecclesia
& ab ea probatus usus antiquitatis statuit,
inviolatè observent. Datum Romæ apud
sanctam Mariam Majorem, sub annulo
Piscatoris, die 17. Junii M. DC. XIV.
Pontificatus nostri anno decimo.

S. COBELLUTIUS.

DE



DE IIS QUÆ IN
SACRAMENTORUM
ADMINISTRATIONE
generaliter servanda sunt.



Uta quæ ex antiquis Catholice Ecclesie institutis, & sacrorum Canonum summorumque Pontificum decretis, de Sacramentorum ritibus ac cæremoniis hoc Libro præscribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, & ubique fideliter servantur; illud ante omnia scire & observare convenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus de iis ritibus decrevit in hæc verba:

Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesie Catholice ritus in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut

A

contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.
Sess. 7.

Cùm igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius aut utilius, nihil que excellentius, aut magis divinum habeatur, quàm Sacramenta ad humani generis salutem à Christo Domino instituta: Parochus, vel quivis alius sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare: atque omni ferè temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere.

Quamobrem illud perpetuò curabit, ut integrè, castè, pièque vitam agat: nam & si Sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque à pravis ministris eorum effectus impediri: impurè tamen & indignè ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde pœniteat: sed si habeat copiam confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.

Quacumque diei ac noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo præstrando (præsertim si necessitas urgeat) moram interponat. Ac propterea populum sæpè, prout sese offeret occasio, præmonebit ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimùm advocet, nullâ temporis aut cujuscumque incommodi habitâ ratione.

Ipse vero, antequàm ad hujusmodi administrationem accedat; paululùm, si opportunitas dabitur, orationi, & sacrae rei quam acturus est meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi & cæremonias pro temporis spatio prævidebit & perleget.

In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, & desuper stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit, nisi in Sacramento Pœnitentiæ ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.

Adhibebit quoque unum saltem, si habeat, vel plures clericos, prout loci & Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu & superpelliceo indutos.

Curabit etiam, ut sacra supellex, vestes,

A ij

ornamenta linteamina, & vasa ministerii integra, nitidâque sint & munda.

In Sacramentorum administratione, eorum virtutem, usum, ac utilitatem, & cæremoniarum significationes, ut Concilium Tridentinum præcipit, ex sanctorum Patrum & Catechismi Romani doctrina, ubi commodè fieri poterit, diligenter explicabit.

Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quæ ad illius formam & ministerium pertinent, attentè, distinctè, & piè, atque clarâ voce pronuntiabit. Similiter & alias orationes & preces devotè ac religiosè dicet: nec memoriæ, quæ plerùmque labitur, facilè confidet: sed omnia recitabit ex libro. Reliquas prætereà cæremonias ac ritus ita decenter gravique actione peraget, ut adstantes ad cælestium rerum cogitationem erigat, & attentos reddat.

Ad ministrandum procedens, rei, quam tractaturus est, intentus sit; nec de iis, quæ ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur: in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem, cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia.

Illud porro diligenter caveat, ne in Sacramento-
rum administratione aliquid quavis de
causa vel occasione, directè vel indirectè,
exigat, aut petat: sed ea gratis ministret, &
ab omni simoniæ atque avaritiæ suspicione,
nedum crimine, longissimè absit. Si quid ve-
ro nomine eleëmofynæ, aut devotionis stu-
dio, peracto jam Sacramento, sponte à fide-
libus offeratur, id licite pro consuetudine lo-
corum accipere poterit, nisi aliter Episcopo
videatur. Fidelibus alienæ parochiæ Sacra-
menta non ministrabit, nisi necessitatis cau-
sâ, vel de licentiâ Parochi, seu Ordinarii.

Omnes autem qui Sacramenta suscipiunt,
loco & tempore opportuno monebit, ut
remoto inani colloquio, & habitu actuque
indecenti, pie ac devote Sacramentis in-
terfint; & ea, qua par est reverentia susci-
pianc librum hunc Ritualem (ubi opus
fuerit) semper, cum ministrabit, secum ha-
bebit, ritusque & ceremonias in eo præ-
scriptas diligenter servabit.

Cæterum, illorum tantum Sacramento-
rum, quorum administratio ad Parochos
pertinet, ritus hoc opere præscribuntur,

A iij

cujusmodi sunt. Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema-unctio, & Matrimonium. Reliqua verò duo Sacramenta Confirmationis & Ordinis, cùm propria sint Episcoporum, ritus suos habent in Pontificali præscriptos. Et ea, quæ de iis atque aliis Sacramentis scire, servare & docere Parochi debent, cùm ex aliis libris, tum præcipuè ex Catechismo Romano sumi possunt. Siquidem hîc de iis ferè tantùm agere instituti operis ratio postulat, quæ ad ipsorum quinque Sacramentorum ritus pertinent.

Postremò, quisquis Sacramenta administrare tenetur, habeat libros necessarios ad officium suum pertinentes, eosque præsertim, in quibus variam parochialium functionem notæ ad futuram rei memoriam describuntur, ut ad finem hujus Ritualis habeatur.



DE SACRAMENTO BAPTISMI RITE

administrando.



SACRUM *Baptisma*, Christiana religionis & aeternae vitae januam, quod inter alia nova Legis Sacramenta à CHRISTO instituta primum tenet locum,

cunctis ad salutem necessarium esse, ipsa veritas testatur illis verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Itaque summa ad illud opportunè ritèque administrandum ac suscipiendum diligentia adhibenda est.

Cùm autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sine jure divino absolutè necessaria, ut materia, forma, minister, alia ad illius solennitatem pertineant, ut ritus ac ceremonia, quas ex Apostolica & antiquissima traditione acceptas et approbatas, nisi necessitatis causa, omittere non licet: de iis aliqua praeponenda sunt, ut sacrum hoc ministerium ritè ac sanctè peragatur.

A iiij

De materia Baptismi.

A C primùm intelligat Parochus, cùm hujus Sacramenti materia sit aqua vera ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi posse.

Aqua verò solennis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quæ in Fonte mundo nitida & pura diligenter conservetur: & hæc, quando nova benedicenda est, in Ecclesia, vel, potius Baptisterii sacrarium, effundatur.

Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri poterit, in minori tamen quantitate.

Si verò corrupta fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in Fontem benè mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat, ex formula quæ infra præscribitur, pag.

Sed si aqua congelata sit curetur ut liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimis frigida; poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiscere aquæ baptismali in vasculo ad id parato, & ea tepesacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.

De forma Baptifini.

Quoniam Baptifmi forma his verbis expreffa, Ego te Baptizo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus fancti, omninò necessaria est: ideò eam nullo modo licet mutare, fed eadem verba uno & eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda funt.

Latinus Presbyter Latinâ formâ sēper utatur.

Cum Baptifmum iterare nullo modo liceat, fi quis sub conditione, de quo infra, fit baptizandus; ea conditio explicanda est, hoc modo. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c. Hac tamen conditionali formâ non paffim, aut leviter uti licet, fed prudenter: & ubi, re diligenter perveftigatâ, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum.

Baptifmus licet fieri poffit aut per infufionem aquæ, aut per immerfionem, aut per afperfionem: primus tamen vel fecundus modus, qui magis funt in ufu, pro Ecclefiarum confuetudine retineantur; ita ut trinâ ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum Crucis uno & eodem tempore quo verba proferuntur, & idem fit aquam adhi-

bens, & verba pronuntians.

Vbi verò Baptismus fit per infusionem aquæ cavendū est, ne aqua ex infantis capite in Fontem, sed, vel in sacrarium Baptisterii propè ipsum Fontem extructum defluat, aut in aliquo vase, ad hunc usum parato, recepta: in ipsius Baptisterii, vel in Ecclesie Sacrariū effundatur.

De ministro Baptismi.

LEgitimus quidem Baptismi minister est Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties infans aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solennitate à quocumque baptizari in qualibet lingua, sive clerico, sive laico etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive catholico, sive heretico, sive viro, sive fœminâ, servatâ tamen formâ & intentione Ecclesie:

Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur Diaconus Subdiacono, clericus laïco, & vir fœminæ: nisi pudoris gratiâ deceat fœminam potius quam virum baptizare infantem non omninò editum, vel nisi melius fœmina sciret formam & modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant & servent.

Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptizet; neque tuncullam contrahunt cognationem, quæ matrimonii usum impediat.

De Baptizandis parvulis.

Opportunè Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes sive baptizandos, sive baptizatos, quamprimùm fieri poterit, & quâ decet Christianâ modestiâ, sine pompæ vanitate deferant ad Ecclesiam: ne illis Sacramentum tantoperè necessarium nimium diferatur cum periculo salutis, & ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetæ ceremoniæ ritusque suppleantur, omissâ formâ & ablutione.

Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Sed si infans caput emisit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite: nec postea, si vivus evaserit erit iterùm baptizandus. At si aliud membrum emisit, quod vitalem indicet motum in illo, si periculum impendeat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo supra dictum est: Si non es baptizatus, ego te baptizo

in nomine Patris, &c. si verò ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.

Si mater pragnans mortua fuerit, fœtus quàm primùm cautè extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur: si fuerit mortuus, baptizari non potuerit, in loco ^{et loco} sepeliri non debet.

Infantes expositi, et inventi, si re diligenter investigatâ de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.

In monstris verò baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est: de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat.

Monstrum quod humanam speciem non præ se ferat, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: Si tu es homo, ego te baptizo, &c.

Illud verò, de quo dubium est, una ne aut plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita: unum vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda, et animæ, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsû sunt baptizandi, unicuique dicendo, Ego te baptizo,

&c. Si verò periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quam tamen formam in iis solum, & in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur: aliàs nunquam licet adhibere.

Quando verò non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita & duo pectora non habet benè distincta, tunc debet primùm unus absolutè baptizari, & postea alter sub conditione, hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

De Patrinis.

Patrochus antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem vel quos Susceptores seu Patrinos elegerint, qui infantem de sacro Fonte suscipiant, ne plures quàm licet, aut indignos vel ineptos admittat.

Patrinus unus tantùm, sive vir sive mulier,

vel ad summum unus & una adhibeantur ex decreto Concilii Tridentini: sed simul non admittantur duo viri, aut dua mulieres, neque ipsius baptizandi pater aut mater.

Hos autem Patrinos saltem in etate pubertatis, Sacramento Confirmationis consignatos esse maximè convenit.

Sciunt præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publicè excommunicatos aut interdictos, non publicè criminosos aut infames, nec præterea qui sanâ mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei: hæc enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi Fonte susceperint, ubi opus fuerit, oportunè docere tenetur.

Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi vel Sanctimonialiales, neque alii cuiusvis Ordinis Regulares à seculo segregati.

De tempore & loco administrandi Baptismum.

Quamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti & cessationis à divinis præsertim si urgeat necessitas, conferri possit, tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiæ ritu sacri sunt dies, in quibus solenni cæremonia

hoc Sacramentum administrari maximè convenit: nempe Sabbatum sanctum Paschæ, & Sabbatum Pentecostes, quibus diebus Baptismalis Fontis aqua rivè consecratur. Quem ritum, quantum immineat, retineri decet, aut certè non omnino prætermitti, præcipuè in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis.

Ac licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediatur; tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in que sit Fons Baptismalis, vel certè Baptistarium propè Ecclesiam.

Itaque, necessitate exceptâ, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi fortè sint Regum aut magnorum Principum filii, id ipsis ita deposcentibus; dummodò id fiat in eorum Cappellis, seu Oratoriis, & in aqua Baptismali de more benedicta.

Baptisterium sit decenti loco, & formâ, materiâque solidâ, & quæ aquam benè contineat, decenter ornatum, & cancellis circum septum, sera & clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis vel aliæ sordes intrò non penetrent: in eoque, ubi commodè fieri potest; depingatur imago sancti Joannis Christum baptizantis.